DOCTRINÆ, ET SANCTITATIS CONIVGIVM

ORATIO.

DE DIVO THOMA AQVINATE

Habita eiuſdem die Feſto
In Templo S. Auguſtini Anno M.DC.IIC.

Sub Feliciſſimis Auſpicijs
Illuſtriſſimi ac Generoſiſſimi D. D.

MATTHIÆ PFEFFER

NOB. STYRI GRÆCENSIS
Incl. Nat. German. Artiſt. Conſiliarij
Nec non Almæ D.D. Theologorum, Philoſophorum, ac Medicorum, Vniuerſitatis PRO-SYNDICI Digniſſimi.

Ab Euangeliſta Mignati Cephaleno.



PATAVII, Typis Sardi. Almæ Vniuer. Typographi. *Super. Permiſſu.*

Illuſtriſſime, ac Generoſiſſime
PRO-SYNDICE.

DOCTRINÆ, & SANCTITATIS CONIVGIVM Nobilitati merito coniunctæ, Tibi, ſcilicet, Illuſtriſſime, ac Generoſiſſime Pro-Syndice ſacrare decreui, ut ipſius Trophæum tuo emicaret in faſtu, & eodem in tempore Protectorem THOMAM, & te Vice

Pro-Rectorem noſtra veneretur Vniuerſitas. Exiguum ſanè mei obſequij munus exiſtit, at dum à te libenter ſuſcipietur, maximum euadet, nempè tuo à nomine fauſtiſſimum referet omen. Suſcipe igitur Illuſtriſſime, ac Generoſiſſime Vir qualecumque ſit mea deuotionis mnemoſynon, & vna cum dono me donantem recipe & foue Vale.

Humiliſs. & Obſequentiſs. Seru.
Euangeliſta Mignati.

ORATIO.

MAximam in Cælis Coniunctionem Illuſtriſſime, ac Generoſiſſime Pro-Syndice, Nobiliſſimi ſingularum Nationum Conſiliarij, Illuſtriſſimi, & celeberrimi Patres, Auditorum corona doctrina, & genere fulgidiſſima, ſpectatiſſima, Maximam inquam in Cælis Syderum coniunctionem rutilanti intelectus lumine diſtinguunt Aſtrologi,

gi, nec non propitio ex ipſorum fulgore benignos in terris hariolantur euentus, ſub quorum felicitate vitam ducentes mortales malignantium cometarum influxus expertes exiſtunt, ac tam benefico ſub omine aurea fruuntur ætate, perpetuoque gaudent vere, nam cum malorum ictus minimè paueant ipſorum hyemem non pertimeſcunt.

At meliori in cælo propitiori influxu glorioſius conſpicitur CONIVGIVM DOCTRINÆ ſcilicet, & SANCTITATIS quod in pectore THOMÆ, immò in ipſius pectoris cælo mirabiliter exiſtit, nec mirum ſi dixerim in cælo, nam cum ibi ſol raro niteat fulgore, cælum potius, quam pectus ſummo iure nuncupandum.

Quam præclaro fædere hoc DOCTRINÆ, & SANCTITATIS CONIVGIVM in THOMA, ſupremo veluti in throno, reſideat neminem latet; quippè quam fuerit ſanctus, ipſius infantia, vt exordium, futuram ſanctitatem, ſemperque creſcentem patefacit, nam cum ſchedā in terris reperierit, in qua ſalutatio exiſtebat Angelica, ipſam veluti opobalſamum deglutiuit, vt Deiparam amare prius, quam cognoſcere perciperet, & ſanctitatis infallibile demonſtraret indicium.

Quam fuerit doctus THOMAS teſtentur Exedræ illæ in quibus adeò doctrina effulſit, taleſque ſapien

tiæ

tiæ fulgores vndequaque emiſit, vt non virtutis ſydus, ſed Sol emicuerit, coruſcantique lumine obſcuras hereſum, & hereſiarcarum caligines diſſipauerit. Perfidiſſimus ille teſtis ſit hereſiarca, qui cum diabolico conatu Templum Dei deſtruere tentaret, DOCTRINAM THOMÆ, & SANCTITATEM conſiderans quæ ſe in ipſius pectore maritali vinculo fecere CONIVGIVM intimo cordis mærore effatus eſt. TOLLE THOMAM, ET DISCIPABO ECCLESIAM DEI: oh præclarum DOCTRINÆ ET SANCTITATIS CONIVGIVM!

Quam fuerit Sanctus THOMAS, & doctus veritate non caremus, nam ipſa teſtatur Veritas, ſcilicet Deus, quippè cum de illo tàm ſanctè, & doctè ſcripſiſſet, præclarã illi Orationem contexit, breui quamquam compoſitam periodo, dum hiſce verbis inquit: BENE' DE ME THOMA SCRIPSISTI; Doctrinæ prodigium quod in cæteris minimè emicuit, effulſit in THOMA.

Tanto in coniugio totus terrarum exultauit Orbis quo circà nil mirùm ſi noſtra lætatur Vniuerſitas, ac annua deuotione tantam ſolemnitatem ſummo proſequitur honore, vt quem Protectorem tenet in terris poſſideat pariter in cælis.

Magna vobis, Illuſtriſſime Pro-Syndice, & Nobiliſſimi Conſiliarij exoritur gloria, veſtra enim ſub feli-

felicisſimis auſpicijs hæc celebratur dies, in qua verè dicere poſſumus: dies albo celebranda lapillo, & hoc tantùm deficit, vos imperfectum ſcelegiſſe Orantem, qui THOMAM adorare potius, quam de ipſo valet orare, at Harpocrates fiam, dum Mercurius fieri nequeam, & dum ipſe THOMAS de ſe orator exiſtit, & Oratio, tali in DOCTRINÆ, & SANCTITATIS CONIVGIO profundiſſima cordis deuotione, deuoto ſubmiſſus ſilentio THOMAM maximè venerabor de quo minimè.

D I C E B A M.